

# EPISTULA LEONINA

## CLIV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM QUARTAM (154) !**

## **ARGUMENTA**

**MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET?.....03**

**EX ORIENTE LUX (IV) – Quid sentiant Europaei orientales**

**ANGELIKA BARBE:**

Epistula aperta ad collegas scripta.....	04 - 12
Epistula aperta ad Wolf Biermann scripta.....	13 - 20

**INVITATIO INTER VERSICULOS IN SICILIA.....21 - 23**

**ECHUS VOCES ..... 24 - 26**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.**

***Cara Lectrix, Cara Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam  
quinquagesimam quartam. –*

»*Mulierem fortem quis inveniet?*« *Hoc quaerit Salomon sapiens in proverbiis Veteris Testamenti et respondet pulcherrimā descriptione matris familias perfectae (p.3). Haec quoque mulier, cuius epistulas apertas in Latinum conversas inscripsi paginis sequentibus, mihi verē digna esse videtur, quae dicatur **mulier fortis: Angelica Barbe**, quae in civitate Germaniae democraticā – qualis ista dictatura officialiter dicebatur – iurum civilium defenstrix ausa est potentibus resistere. His epistulis apertis libero ore queritur de praesenti gubernationis Germanicae coadunatae iniustitiā...*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 154 tolle et lege et laetare...!*

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
 Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicā, 18. m.Febr. a.2018**



## MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET?

### VULGATA, Proverbia 31,10 - 31,31

<sup>10</sup> Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri sui et spoliis non indigebit. <sup>12</sup> Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae. <sup>13</sup> Quaesivit lanam et linum et operata est consilio manuum suarum. <sup>14</sup> Facta est quasi navis institoris; de longe portat panem suum. <sup>15</sup> Et de nocte surrexit deditque praedam domesticis suis et cibaria ancillis suis. <sup>16</sup> Consideravit agrum et emit eum de fructu manuum suarum plantavit vineam. <sup>17</sup> Accinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum. <sup>18</sup> Gustavit, quia bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna illius. <sup>19</sup> Manum suam misit ad fortia et digitus eius adprehenderunt fusum. <sup>20</sup> Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem. <sup>21</sup> Non timebit domui suaee a frigoribus nivis; omnes enim domestici eius vestiti duplicibus. <sup>22</sup> Stragulam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum eius. <sup>23</sup> Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae. <sup>24</sup> Sindonem fecit et vendidit et cingulum tradidit Chananeo. <sup>25</sup> Fortitudo et decor indumentum eius et ridebit in die novissimo. <sup>26</sup> Os suum aperuit sapientiae et lex clementiae in lingua eius. <sup>27</sup> Considerat semitas domus suaee et panem otiosa non comedet. <sup>28</sup> Surrexerunt filii eius et beatissimam praedicaverunt; vir eius et laudavit eam: <sup>29</sup> »Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas«. <sup>30</sup> Fallax gratia et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur. <sup>31</sup> Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera eius.

<http://cicero.de/innenpolitik/Offener-Brief-von%20CDU-Dissidentin-Nicht-mehr-mit-mir>

## **Epistula aperta mulieris a CDU dissidentis –**

### **„Hoc non facietis unâ mecum!“**



**ANGELIKA BARBE (\*1951)**

*scripsit ANGELICA BARBE d. 10. m. Febr. a. 2017,  
in Latinum convertit LEO LATINUS.*

*Crisis euronis, crisis profugorum, ius reddituum<sup>1</sup>, – unio christiano-democratica (CDU) videtur raptim desistere ab omnibus principiis suis. Itaque Erika Steinbach iam partem suam politicam reliquit. Angelika Barbe fuit legata quondam partis socialisticae (SPD) conventui foederali insidens, membrum partis christiano-democraticae necnon in germanicâ re publicâ, quae democratica appellabatur (DDR), fuit defenstrix iurum civilium<sup>2</sup>. Quae epistulâ suâ apertâ nunc se vertit ad partem suam politicam.*

---

<sup>1</sup> iūs reddituum orig. Rentenanspruch.

<sup>2</sup> dēfēnstrīx iūrum cīvīlīum orig. Bürgerrechtlerin.

## *Cari collegae,*

dum unio christiano-democratica ius frangit, in certamine suffragiorum non iam parata sum credibilitatem bonumque nomen meum offerre adhibendum.

Ut exemplum afferam, cogito de clausulâ non-exsolvendi<sup>1</sup> contractui Traiectensi<sup>2</sup> inscriptâ, quem a.1998 honoris causâ defendi in partis christiano-democraticae certamine suffragiorum, electoribus promittens Germaniam numquam soluturam esse aes alienum alterius civitatis Unionis Europaea. Illo tempore omnino non suspicata eram partem christiano-democraticam iure fracto fraudaturam esse electores sui proprios.

### **Ius valens neglectum esse**

Cogito de articuli 16a lêgis nostrae fundamentalis inciso 2<sup>3</sup>, quae solâ cancellariâ auctrice facta est invalida, sine ullâ conventûs foederalis participatione.

Illo tempore, quo legata fui, in parlamento sententiam meam tuleram pro eodem articulo mutando ideoque a parte socialistarum (SPD) sugillata atque punita eram. Socialistae iuvenes (*Jusos*) odio pleni divulgaverant gryllum<sup>4</sup>, quo ego depicta eram e patibulo pendens. Quo faciendo illi calcaverunt legatum illuminismi, pro quo iam *Voltarius* locutus est: *Ego aliter sentio ac tu, sed omnia faciam, ut liceat tibi sententiam tuam dicere liberê atque publicê.*

Ego coacta eram, ut viverem in re publicâ iniuriosâ, in re publicâ germanicâ, quae democratica dicebatur, oppositionis politicae particeps defendi rem publicam iustum condendam, itaque infinitê grata eram pro Germaniae coadunatione, ad quam assequendam unâ cum aliis pugnaveram. *Domina Merkel* autem ne decreta maioritate facta quidem unionis christiano-democraticae respicit, velut id, quo syngraphus duplex<sup>5</sup> recusatur.

---

<sup>1</sup> clausula nōn-exsolvendī orig. *no-bailout-Klausel*.

<sup>2</sup> contractus Traiectensis orig. *Maastricht-Vertrag*.

<sup>3</sup> Articulo 16a legis fundamentalis omnibus hominibus, qui in patria sua persecutionem patiuntur politicam, ius asyli – at secundum paragraphum 2, nisi in Germaniam veniunt ex aliqua civitate tertia, quae sibi tuta est.

<sup>4</sup> gryllus, -ī m. [PLIN.nat.35,114] theod. *Karikatur*; angl. *cartoon*.

<sup>5</sup> syngraphus duplex *Doppelpass*.



**SABATINA JAMES (\*1982)**

Ut sum iudicissa honoraria (scabina)<sup>1</sup>, non intellego, quare subito in Germaniâ magistratûs patiantur conubia parvularum<sup>2</sup>, quamvis secundum ius germanicum vetitum sit talia coniungere. Itaque quidam diurnarius ephemeridis Berolinensis (B.Z.) quaerit: *Berolini plus centum parvulae sunt conubio cum viris coniunctae. Quis eas adiuvabit?* *Sabatina James*, mulier christiana ab islamo conversa indeque secundum arbitrium islamicum (*fatwā*) periculo mortis exposita, ex annis adiuvat mulieres puellasque victimas iuris islamicci (*šarīa*) et postulat, ut observetur lex Germaniae fundamentalis. Praeterea neminis nisi phyletistae<sup>3</sup> est puellas muslimicas minus tutari quam germanas.



**HEINZ BUSCHKOWSKY (\*1948)**

## Polygamia muslimica

Polygamia a migratoribus muslimicis in consuetudinem societatis inducitur eo, quod non punitur secundum ius poenale necnon pecuniis


---

<sup>1</sup> iūdicissa honōraria (+scabīna): orig. *ehrenamtliche Richterin (Schöffin)*.

<sup>2</sup> cōnūbium parvulārum orig. *Kinderehe*. In contextu islamicō agitur de puellis parvulis, quae coniunguntur cum viris adultis.

<sup>3</sup> \*phylētista, -ae m. *Rassist*.

publicis fovetur. *Heinz Buschkowsky* burgimagister quondam Neocoloniae tribûs Berolinensis iam diu postulat, ut lêge vetentur conubia multiplicia in meschitis<sup>1</sup> coniuncta: tali conubiorum coniunctione secundum ius germanicum illegali mulieres in humilitatem submitti.



### **HAMED ABDEL-SAMAD (\*1972)**

Omnino non intellego, quare unio christiano-democratica fascismum islamicum phyleticum<sup>2</sup> (qualis appellatur ab *Hamed Abdel Samad*, qui propter libros suos etiam continuo est minis mortis expositus - non aduersetur, sed aduletur. *Abdel Samad* analysi suâ ingeniosâ criteria invénit saltim quinque, quibus islamus similis est ideologiae nacistarum<sup>3</sup>: 1.principium ducis, 2.principium oboedientiae, 3.apparatus repressionis (vigiles religionis), 4.petitio mundi regendi, 5.principium pugnandi.

Ídem *Abdel Samad* postulat, ut iurisperiti islamicci et *imami* et repraesentatores associationum Germaniae Islamicarum ex alcorano tollant et irrita esse declarent viginti quinque *mandata necandi*. Et *Abdel Samad* et *Necla Kelek* et *Seyran Ateş* ex conferentiâ Islamicâ exclusae sunt, quia postulaverunt aequalitatem mulierum virorumque, sicut postulatur secundum principium aequalitatis, quod lêgi nostrae fundamentali inscriptum est. Omnino non intellego, quare et *Wolfgang Schäuble*, minister quondam rerum internarum et *Thomas de Maizière*, qui nunc hôc munere fungitur (uterque est unionis christiano-democraticae), associationibus Islamicis, quae ne tricenas

<sup>1</sup> +meschīta, -ae f. *Moschee*.

<sup>2</sup> \*phylēticus, -a, -um orig. *rassistisch*.

<sup>3</sup> \*nācista, -ae m. i.q. \*sociālista nātiōnālis, theod. *Nazi* (= *Nationalsozialist*).

quidem centesimas partes (30%) omnium in Germaniâ viventium muslimorum repreäsentant, extorsoriē<sup>1</sup> postulantibus concesserint ideoque mulieres muslimicas (quibus ego solidaritate coniuncta esse mihi videor) prodiderint.



**BASSAM TIBI (\*1944)**

### *Islamum ricae gerendae victoram peperisse*

*Bassam Tibi*, muslimus syriacus et islamologus, excogitavit *euroislamum*, quo ab islami repaesentatoribus postulatur, ut desistant a principiis, quibus comprobatis fieri non potest, ut muslimi in societas europaeas integrentur; itaque *Bassam Tibi* postulat, ut muslimi 1. - religionem seiungant a rebus politicis – ut fides religiosa fiat res privata. 2. – desistant ab islamomachiâ (*gīhād*) et iure islamicō (*šarīa*), 3. - comprobent democratiam, 4. - tolerent religiones alias ita, ut homines alius religionis habeant pro aequalibus, ne habeant pro subordinatis. 5. - ut desistant ab islami praedominatione (*siyadat*) et praestantiâ muslimorum religiosâ, 6. – ut se ipsos habeant pro hominibus individuis, non pro grege collectivo (*umma*).


At *Bassam Tibi* spe abiectâ in periodico *Cicero* declarat: *Cur a pugnâ destiterim*. Idem putat euro-islamum in irritum cecidisse, quia *islamus ricae gerendae* superaret. *Said al Ashmawi* iurisconsultus islami peritus demonstravit ricâ gerendâ significari comprobationem politicam vitae in societatibus parallelis degendae.

Etiam *Rudolf Vorderholzer* episcopus Ratisponensis opinatur islamum integrari non posse. Qui videtur esse primus episcopus, qui alcoranum

---

<sup>1</sup> \*extorsōriē (adv.) orig. *erpresserisch*. „Nam ubi Sendivogium attigisset in diversorio quodam pagi cuiusdam circa prandium, rem tentabat primum suaviter, post seriò et **extorsoriè**, tandemque Philosophum ad calumniam quandam domus istius alligatum, vestibus exuebat, ut nihil relinqueretur intactum.“

perlegerit ideoque cognitam habeat infidelium, i.e. Iudaeorum, Christianorum, Iesidorum, Curdorum, buddhistarum aliorumque gravem diffamationem. Nam islamus non est religio, sed ideologia totalitaria, quae nullam religionis libertatem comprobet – sed postulet sui ipsius praestantiam praedominationemque.



**RUDOLF VORDERHOLZER (\*1959)**

## Ideologia islami phyleticista

Equidem nonnullas suras alcorani perquisivi definitione notionis phyletismi a *Richardo Schröder* his verbis expressâ: *Phyletismus est postulatio praestantiae propter notas biologicas*. Sura 2, versus 228 dicit viros gradu superiores esse feminis, nam Deum esse potentem sapientemque. Dresdâ in urbe *Aladin El-Mafaalani* politologus muslimicus mihi ex illis suris concludenti islamum esse ideologiam phyleticam publicê assensus est coram auditoribus stupescientibus.

At cum a diurnariis, ecclesiasticis, politicis dicatur pugna contra phyletismum facienda esse quam vehementissimê, equidem quaero, quando tandem illi incepturi sint pugnare contra ideologiam islami apertê phyleticam. Equidem nolo experiri tertiam dictaturam – minimê quidem volo islamicam – in terrâ germanicâ dominantem, postquam avus iam meus multa passus socialismo nationali restitit, ego ipsa communismo.



**ALADIN EL-MAAFALANI (\*1978)**

Dolendum est hodie quoque valere principium, quo ea opinio politica, quae non est propria, diffametur. In illâ re publicâ germanicâ democratica (DDR) talis opinio dicebatur *hostili-negativa*, hodie *populistica*.

Iniustitiam considerans, qua agitur cum migratoribus et hominibus indigenis, nescio quid dicam faciamve. Cum petitores asyli Berolini pretio undecim euronum, in Rhenania-Vestfaliâ sedecim euronum, ter in die accipient cibos, acceptori hartziano<sup>1</sup> 4,72 (quattuor – virgula - septem duo) tantum eurones attribuuntur ad cibos cottidianos emendos.

### **Res publica iuris iniusta**

Nôti mihi sunt cives Germaniae orientalis simplices, qui vitam degunt egenissimam salariis minimis, pecuniis hartzianis, redditibus minimis, pecuniolâ quiescentiae praematuraे propter disoccupationem solvendâ, contractibus commodaticiis<sup>2</sup> atque contractibus operandi temporis limitati, qui operulae minimaе<sup>3</sup> appellantur. Nonnulli eorum persecutionem quandam politicam perpessi nunc etiam fraudantur usuris pecuniae laboriosê comparsae. Tales homines non sunt inter illos privilegiatos, qui nobis narrare non desinunt Germaniam esse terram divitem.

---

<sup>1</sup> acceptor hartzianus orig. *Hartz 4-Empfänger*.

<sup>2</sup> contractus +commodāticius = commodātūm, -ī n. *Leihvertrag*.

<sup>3</sup> operula minima *Minijob*.

Res publica oportet sit iusta – misericors potest esse homo singulus. Praeterea nemo illorum civium pauperum intellegit, quare pro salariis acceptis pendenda sint vectigalia tricenarum vel plurium centesimarum, sed pro possessione capitalis (qualis non est nisi hominibus boni salarii, inter quos sunt etiam politici) tantummodo vicenarum quinarum. Nullus politicus, etiam christiano-democraticus, umquam sustulit hanc rem iniustam constitutioni rei publicae contrariam.

## **Expilatio familiae translatoria<sup>1</sup>**

In reditibus senectutis calculandis mulieres, quae infantes educaverunt, tractantur infamissimē. *Friedrich Liszt* oeconomus centum iam annis ante dixit quodam cum sarcasmo: *Qui porcos educat, est membrum societatis utile, qui educat infantes, est membrum inutile.* Iudices Foederalis Iudicij Constitutionalij<sup>2</sup> duobus iudiciis a.1992 et a.2001 educationem infantium honorificē laudaverunt esse *tributionem generativam* ad *asssecrationem redditualem*<sup>3</sup> ideoque statuerunt illam esse *tributioni aequalem*. Iidem iudices foederalis conventum legatorum adhortati sunt, ut itaque hanc tributionem in reditu matrum calculando respicerent, ne hanc tantummodo compensarent ridiculo punctulo reddituali singulis infantibus attributo. Usque hodie unio quoque christiano-democratica non finivit hanc *expilationem familiae translatoriam*, qualem appellat *Jürgen Borchert* iudex socialis.

Pro iudicio illo gratias egi ipsi *Paulo Kirchhof* iudici et ex illo quaesivi, quare iudicium non ad effectum adduceretur. Qui respondit iudices constitutionales posse quidem declarare, quid sit constitutioni contrarium, sed agendum esse foederali conventui legatorum. Hôc modo paupertas multarum matrum senilis iam praestituit necnon cives humiliantur conscientiâque pretii proprii privantur.

## **Cives contemni**

Quacumque ratione in nullo iam certamine suffragiorum commendabo politicos inertes neque umquam eos eligam. Dominam *Ericam*

---

<sup>1</sup> expilātiō familiae trānslātōria orig. “Transfer-Ausbeutung der Familie”.

<sup>2</sup> Foederalis Iūdiciū Cōnstitūtiōnāle *Bundesverfassungsgericht*.

<sup>3</sup> assēcūrātiō reddituālis *Rentenversicherung*.

*Steinbach* multimodis laudo atque honoro propter eius merita politica excellentia propterque animum eius audacem, quo veritatem confessa est. Nam eadem fuit unica, quae mihi respondit vituperanti, quod in casu creditorum Graeciae concessorum ius fractum esset clausulâ non-exsolvendi neglectâ.

Etiam compluries per litteras – idque expressis verbis - interrogavi *Christinam Schwarzer* legatam unionis christiano-democraticae neo-coloniensem, quare ius frangat. Deinde nullum accepi responsum. Illa nihil scripsit nisi hanc rem esse pacificam seque confidere *Wolfgang Schäuble*. Haec mihi videtur esse nova methodus, qua cives puniantur non-respectu – ne dicam contemptu. Nam in illâ re publicâ Germaniae democraticâ (DDR) civi petitori saltim mittebatur affirmatio petitionis acceptae.

<http://cicero.de/innenpolitik/offener-brief-an-wolf-biermann-von-politischer-kultur-kann-hierzulande-keine-rede-sein>

# Epistula ad *Wolf Biermann* missa – „Qui didicit civitatem iuris aestimare, is eandem non iam vult reddere“

**SCRIPSIT ANGELICA BARBE die 6. m. Oct. a.2017,  
IN LATINUM CONVERTIT LEO LATINUS.**



*Wolf Biermann cantor politicus nuper contendit Germanos orientales electores partis politicae alternativae (AfD) ignavos esse et parum aestimare democratiam atque libertatem. Angelica Barbe politica unionis christiano-democraticae, olim in DDR (re publicâ Germaniae democratica) defenstrix iurum civilium, litteris, quae sequuntur, Biermannio vehementer contradicit.*

## **De auctrice**

*Angelika Barbe (\*1951) est Germana mulier politica. Quae in re publicâ Germaniae democraticâ (qualis dicebatur) fuit defenstrix iurum gubernationi opposita, unâ cum aliis in DDR condidit partem sociali-democraticam, fuit legata foederalis conventûs ipsius partis sociali-democraticae (SPD), nunc est partis christiano-democraticae (CDU).*

*Care Wolf,*

te ipsum pernôvi inde ex illo famelico operistitio<sup>1</sup>, quod a.1990 unâ cum *Bärbel Bohley* aliisque cum iurum civilium defensoribus nos habuimus in sede ministerii securitatis rei publicae (*Stasi*) principali Berolino orientali in urbe sitâ. Antea te iam colueram propter cantica

---

<sup>1</sup> \*operistitium famelicum orig. *Hungerstreik*.

tua, quae dactylographabam et clam distribuebam. Ego illo tempore fui unica partis sociali-democraticae, quae operistitio ad acta ipsius *Stasi* publicanda cum se adiunxisset a *Volfgango Thierse* est diffamata. Scis me non esse ignavam. Neque ignava est maior pars Germanorum orientalium.



*Wolf Biermann in Speculo Hammaburgensi („Spiegel“) dixit haec: *Ii homines, qui nunc clamaverunt, „Merkel abeat, apage!“ – ii illo tempore tacuerant muti subditi. Nam ignaviores fuerant, quam ut clamarent, quia timore erant debilitati.**

Doleo, quod tibi non fuit occasio cum multis illis civibus loquendi, quos his annis praeteritis pernoverisse mihi licuit. In plus quingentis epistulis, quas in sede Saxoniae centrali a civibus accepimus, eorundem plus nonagenae partes centesimae questae sunt, quod petitionibus, litteris, interrogationibus scriptis responsa acceperant neque a burgimagistris neque a legatis neque a consiliariis ruralibus neque ab aliis potestatis repraesentatoribus. Qui cives sibi visi sunt reprobati et irrisi necnon ignominiâ phyletismi sunt affecti.

### **Angelam Merkel non iam scire civium condiciones vivendi**

*Angela Merkel cancellaria foederalis helicoptero terram appellit oppidi Heidenau, horâ post evolat neque eodem modo ullum problema solvit. In quâdam emissione televisificâ, quae spectat ad suffragia ferenda, eadem cancellaria purgatrici suadet, ut pecuniam suam paucam condat reditu Riesteriano<sup>1</sup>. Inde apparet Angelam ignorare condiciones, quibus cives vivant. Eadem ne unum quidem verbum facit de expilatione familiarum translatoriâ, quam accusat Jürgen Borchert iudex quondam socialis. Necnon Angela est tantâ impudentiâ<sup>2</sup>, ut*

<sup>1</sup> reditus Riesterianus orig *Riester-Rente*.

<sup>2</sup> orig. *Chuzpe* (q.e. verbum hebraicae originis: jiddicê חוץפה [chutzpe] hebraicê חוץפה [chuzpà].

promittat pecuniam liberos educandi auctum iri, quamvis hoc non fiat nisi *re surreptâ reddendâ* (ut ait *Borchert*)<sup>1</sup>, i.e. reddendo vectigali victûs parvulorum minimi penso.

Merkelia evolat nosque cives relinquit solos continuoque periculo tromocratiae expositos, immo numerosi diurnarii *mediorum lacunatorum*<sup>2</sup> (ut ait *Norbert Bolz*) nobis narrant aliquot centum milia migratorum illegalium et non registratorum – quamquam permulti iam attentationes islamistarum factae sint et cultris et autocinetis autoplaustrisque – esse omnino non periculosa. Gubernatio infitetur se non iam parem esse securitati servandae. Scilicet se ipsam non periclitari. At exstruuntur *obices Merkeliani*<sup>3</sup>, si politici putant se ipsos periclitari – sicut factum est d.3. m.Oct. a.2016 Dresdâ in urbe. Ibidem enim sclopetatores lyncei graviter armati in tectis insidiati sunt. At victimae attentationum islamistarum tromocraticarum reticentur, secundum synthema factionis illius SED: *Ubi non sunt victimae, ibi non sunt auctores scelerum!* Victimarum enim *plateae Breitscheidiana*e non invitantur ad emissiones suffragiorum televisificas participandas.



**Ecce reclamatores Dresdensis motûs popularis, cui nomen est PEGIDA:  
„Cives Germaniae orientalis perspiciunt animos gubernantium“**

<sup>1</sup> orig. *Rückgabe von Diebesgut* (Borchert).

<sup>2</sup> media lacūnāta *Lückenmedien* (Bolz).

<sup>3</sup> obicēs Merkeliānī orig. *Merkelsperren*.

## Lêges evidenter fractas esse

Cives Germaniae orientales perspiciunt animos gubernantium, qui iura fundamentalia (articulum 16 a lègis fundamentalis) faciunt invalida. Qui homines timent res sibi imminentes. Quia Merkelia lèges non observat, valet illa analysis *Horstii Seehofer* dicentis *iniuriam dominari*. Merkelia ulti normas atque regulas suâ sôlâ voluntate fecit invalidas.

Cultura politica in hac terrâ omnino non exstat. Desidero enim consensum antitotalitarium, desidero controversiam apertam de rebus litigiosis faciendam, desidero respectum alterius hominis aliter cogitantis. *Casta*<sup>1</sup> quaedam socialis hominum, qui se ipsos declaraverunt esse *opionifex*<sup>2</sup>, utitur notionibus, qualis est *tolerantia*, sed sensum earum in contrarium vertit. Qui cottidie percipit acta diurna, experitur diurnarios veritatem reticere bene scientes populum se etiam interreti certiorem fieri, colloqui cum amicis cognatisque in Germaniâ occidentali habitantibus, ipsos observare, quae fiant quibusdam in urbibus (quales sunt *Berlin-Neukölln*, *Duisburg-Marxloh*, *Essen*). Nam non iam est murus Berolinensis. Is qui Civitatem Islamicam (IS) contendit similem esse manifestationibus *Pegidae* pacificis, necesse est oderit omnes homines, qui aliter cogitent quam ipse.



**Ecce meschita neo-coloniensis**

---

<sup>1</sup> \*casta, -ae f. orig. *Kaste*. Cfr Helfer, Lexicon auxiliare, 3.ed. (1991), p.303, s.v.: “\*casta (sociālis) (1.VL 80,137).”

<sup>2</sup> \*opiōnifex, -icis m. orig. *Meinungsmacher*. Sit venia verbo !

## Nihil controversiarum, multum consensuum

*Bassam Tibi* islamologus desiderat culturam controversiarum, quâ nullus homo sententiae differentis eo ex societate excluditur, quod argumentis hostilibus negantur eius integritas et dignitas.

Quonam modo civis oportet manifestet sibi statum rerum displicere?



**PETER ALTMAYER (\*1958)**  
**Caput officii cancellariae foederalis**  
 Omnim Germaniae politicorum ponderosissimus.

A politicis atque diurnariis in *mediis lacunatis*<sup>1</sup> contenditur non oportere, ut homines parum contenti eant in viam publicam sententiam suam manifestaturi. Nunc autem suffragia tulerunt, qui prius evitaverant sitellam<sup>2</sup>. Itaque iidem dicuntur stulti esse, quia non illos, elegerunt, qui habentur pro *rectis*. At Germani orientales neque *Altmaierum* neque nonnullos principes ecclesiae eo delectare voluerunt, quod abstinuerunt a suffragiis ferendis, sed maluerunt eligere politicam partem Germaniae alternativam (AfD). Nam non-electores automaticê augent partem politicam maximam. Si quis talia democratiae adversa publicê commendat, qualia commendavit *Petrus Altmaier* (*Melius est suffragia non ferre quam eligere partem alternativam*), animi inclinationem praestat totalitariam.

Avus meus fuit communista, clam pugnavit contra socialistas nationales. Qui fuit simplex fabricator instrumentorum et postea ipsi SED se adiunxit parti politicae recenter conditae. Haec res post d.17. m.Iun. a.1953 mutata est. Illo tempore avus meus librum partis politicae ad pedes sociorum proiecit. Se non contra nacistas pugnasse

<sup>1</sup> media \*lacūnāta i.q. *Lückenmedien*. Alii dicunt *Lügenpresse* vel *Pinocchiopresse*.

<sup>2</sup> sitella, -ae f. *Wahlurne*. cfr PLAUT.Casina 296; CIC. pro Cornel.1, fragm.296. e.al.

animo fortí neque ideo familiam suam in periculum subduxisse, ut nunc sodales suos reperiret in custodiis inclusos. Se nolle adiuvare fascistas larvâ socialismi indutos. Deinde avus meus habitus est pro proditore. Evidem resistentiam praestiti contra alteram Germaniae dictaturam – communisticam – ideoque diffamata sum esse *hostilis-negativa*, punita sum sermone captando et professione prohibendâ<sup>1</sup>. Ego in re publicâ germaniae democraticâ (DDR) experta sum custodiam cognitorum<sup>2</sup> communisticam et mater trium infantium paupertatem. Nolo experiri dictaturam Germaniae tertiam – ne dicam de islamicâ.



**SEYRAN ATEŞ (\*1963)**

## Quidni homines reclamant islamismo?

Itaque adiupo *Sabatinam James*, quae ab islamo ad fidem christianam est conversa, ideoque secundum arbitrium Islamicum (*fatwā*) periculo mortis exposita, non potest, quin clam vivat semper vigilibus circumdata. Ab eius sodalicio multi christiani, qui sunt similis sortis, adiuvantur. Quonam iure hac in terrâ islamistis aggressivis permittitur, ut minentur civibus pacificis propter eius fidem religiosam? Quidnam partes nostrae politicae dominantes faciunt, ut talia impediantur? Sic agitur de *Seyran Ateş* muslimâ, quae propter liberalem meschitam neo-coloniensem a se conditam vivit minis mortis exposita. Quidni isti iniuriae reclamat maioritas muslîmorum hîc viventium, quae dicatur esse perquam pacifica?

---

<sup>1</sup> orig. *Berufsboykott*.

<sup>2</sup> orig. *Sippenhaft*.

Care *Wolf*, ut sum christiana et perquam diligo *Václav Havel*, *volo vivere in veritate*. Non negligo realitatem, ut partibus politicis hoc placeat. Sum membrum ipsius CDU et observo praecepta programmatis christiano-democratici, quod nunc reprezentatur a parte alternativâ. Si quis debet relinquere democratias christianos, certê non ego – sed *Merkel*.

Post a.1990 irâ atque tristitiâ affecta audivi aliquot centum curricula vitae hominum, qui persecutionem perpessi erant a SED, conata sum eos in grapheo civium et in sodalicio adiuvare, colloquia cum testibus contemporaneis dispensare, rehabilitaciones efficere; iisdemque de causis a successoribus ipsius SED iuridicis improbissimê diffamata sum. *Nam ubi nullae sunt victimae, ibi etiam auctores scelerum non sunt* – hôc synthemate isti sperant se posse sclera occultare coaequalesque rerum imperitos fallere. Usque hodie successores ipsius SED iuridicos recusant, ne victimarum damna possessione suâ illegitimê acceptâ resarciant.



**JOACHIM GAUCK (\*1940)**  
**Germaniae quondam praeses foederalis**

### **Germani orientales audent contradicere**

Cum intellegam, cur multi concives germani orientales sint tristes, iracundi, desperati, quod sibi videntur auxilii et iuris et potestatis expertes, intellego quoque, cur hanc partem politicam elegerint, quam ego quoque elègi. Si in quâ civitate ius exercetur duobus modis inter se diversis, societas dilabitur. Nam ius necesse est sit omnibus aequum, alioquin ius fit iniuria. Democratia atque libertas valere non possunt nisi regit ius. Qui civitatem iuris tam bene didicit aestimare quam civis ipsius DDR, quae fuit civitas iniuria, eam vult defendere neque iam reddere. In omni manifestatione Pegidae Dresdâ in urbe

tollitur taenia pellucida, cui inscripta sunt verba: **QUIA NOVIMUS SERVITUTEM, LIBERTAS NOBIS EST SANCTA!**

In ipsâ DDR dicebatur: *Qui nos non comprobat, adversatur paci mundanae.* Hodie dicitur: *Is, qui eligit partem alternativam, est nacista.* Homines non possunt peius diffamari quam his verbis. Qui istud patitur, tanto animo est, ut audeat contradicere. Nos non sumus ignavi. Qui audet se *Pegidae* adiungere, bene scit fieri posse, ut ab extremistis sinistrale partis violentis persecutionem patiatur sibique vis afferatur corporalis, is, qui confitetur se esse electorem partis alternativae, scit fieri posse, ut difficultates sibi afferantur personales atque profesionales. Estne tibi nôtum *Gauckium* praesidem quondam foederalis verba fecisse sequentia? *Electi (primores civitatum) nullam efficiunt problema, sed in praesenti problema efficitur a populis.*<sup>1</sup> Quânam autem re melius demonstrari potest, quam arrogantes sint potentes et quam audaces sint cives, qui huic arrogantiae resistant?



**SIGMAR GABRIEL (\*1959)**

Medullitus te salutat teque argumenta mea satis graviter perpensurum esse sperat *tua perdita, iam diutius hîc vivens, exorta ex populi parte mediâ effrenatâ, electrix partis Germaniae alternativae, stupida atque tenebrosa, taedio mutationum correpta in Germaniâ obscurâ nata* (cuius incolae a *Sigmaro Gabriel* vocantur *faex populi*)<sup>2</sup>,

**Angelika Barbe**

<sup>1</sup> orig. „Die Eliten sind gar nicht das Problem, die Bevölkerungen sind im Moment das Problem.“

<sup>2</sup> orig. „Dein abgehänger, schon länger hier lebender, der „enthemmt Mitte“ entstammender, AfD-wählender, „veränderungsmüder“ Tölpel und Finsterling aus Dunkeldeutschland (auch als Gabrieles „Pack“ bekannt)..“ Angelika Barbe ironicê ad se ipsam refert nomina increpatoria, quae politici gubernationis faciunt de Germanis orientalibus rationem gubernationis politicam, praesertim migratoriam, vituperantibus.

# **INVITATIO**

## **INTER VERSICULOS IN SICILIA**

**We wish to invite anyone with an interest in Latin verse to: ‘Inter Versiculos in Sicilia’, a 10-day workshop in Latin verse composition, sponsored by the University of Michigan, and led by David Money (Cambridge). See our website for full details:**

**<https://inter-versiculos.classics.lsa.umich.edu/upcoming-workshop/>**

This site also contains sections on previous workshops (2011, 2016), with poems by participants, advice on composition, etc, which may be of interest. For applications and expressions of interest, please contact (as soon as you can): Gina Soter [soter@umich.edu](mailto:soter@umich.edu)

Note for spoken-Latin enthusiasts: as long as there are sufficient participants interested, we are proposing to conduct some parts of the workshop in Latin: this will include social interaction (e.g. making a tantum Latinetable available at meals) and perhaps some of the teaching; Dr Money has lectured in Latin about verse techniques on other occasions, such as the Lexington conventiculum, and would be willing to do so in more depth here, if it would be welcome. On the other hand, please note that this would be entirely optional, and participants would be able to enjoy the workshop fully in English.

We hope you will consider joining us. And we would also be very grateful if you could pass on the information to students and potentially interested colleagues and friends, and encourage any mentions of the workshop on social media or elsewhere, so that the message can reach a wider range of potential participants in all countries. We would stress that the workshop is open to anyone at all (with reasonable Latin): no previous verse-writing experience is expected. We have found that most complete beginners can achieve some impressive results within the time of a workshop. It will be accessible to Latinists of varying levels: suitable for undergrads, but also for postgrads, and teachers at schools or universities – all of whom may find their appreciation of verse enriched by the practical approach we take.

Gina Soter writes that ‘the exercise can be unexpectedly compelling, illuminating and useful. As with many art forms, one of the best ways to understand what others have done, is to try to do it yourself.’

Here are a few comments from past participants:

- Taught by a connoisseur of all the obstacles and traps in Latin poetry writing, we made the first stumbling steps on our newly discovered metrical feet; inspired by Sicilian sun, music, food, and wine, the stumble developed – little by little – into a dance.
- Even if I do not continue writing poetry, Inter Versiculos has already improved my ability to read and appreciate Latin poetry. . . . my reading feels more natural and it is far easier to appreciate the poem's meaning.
- ‘Inter Versiculos’ not only opened my eyes to Latin poetry and its many wonders, but also to the gorgeous universe that is Sicily.
- I was never more aware of the importance of quantities.
- Having previously only studied classics in very traditional and rigid European schools, it is good to get away from the cobwebs of Northern scholarship and dash into the burning Sicilian sunshine.
- I knew it was difficult to write with such confines as the different meters but I never truly understood until I tried it for myself. It was really satisfying to be able to have tangible evidence of my learning throughout the week.
- Prose was always my thing--or so I thought. Now that I understand the skill involved in writing poetry, I have a completely different love for it. Before I used to prefer the Caesar portion of the syllabus; now I far prefer the Vergil!
- The way Latin poetry is conventionally taught, it can feel like trying to solve a puzzle ... but the process of learning how to ‘write’ the poetry has augmented my understanding of it a thousand-fold .... This perspective is unique and invaluable; I certainly could have gotten it no other way.
- I.V. also fostered a unique sort of community, the likes of which I never would have imagined: it brought tenured professors, ancient armchair Latinists, and green undergraduates all down to the same level of expertise.

‘Inter versiculos’ 2018 is now actively seeking anyone curious about Latin poetry. We invite you to join us in Trapani, Sicily, July 5-14, 2018.

**The University of Michigan** is pleased to announce *Inter Versiculos in Sicilia*, a ten-day workshop in Latin verse composition to be held in Trapani, Sicily July 5-14, 2018. The workshop will be led by Dr. David Money, of Cambridge University. About Inter Versiculos: <https://inter-versiculos.classics.lsa.umich.edu/>; How to Apply: <https://inter-versiculos.classics.lsa.umich.edu/upcoming-workshop/>

For this workshop, we seek to assemble an international group of Latinists including undergraduate and graduate students, teachers of Latin at the secondary, collegiate and graduate level, as well as interested amateurs. As the website states: "Open to anyone Latin poetry curious."

Please also visit our Facebook page:<https://www.facebook.com/interversiculos/>

For additional information, please contact:

Gina Soter, PhD  
Head of Latin Program at the Residential College  
and Lecturer IV in the Department of Classical Studies  
The University of Michigan  
Ann Arbor, MI

[soter@umich.edu](mailto:soter@umich.edu)

## ECHUS VOCES

Tue, 30 Jan 2018 22:41:48 +0100

**Theodericus Sacré** sodalibus ALF s.d.p.

Proximarum Academiae nostrae sessionum commonefactos vos volui. Suspicabar enim instare tempus tesseras aerias emendi et cubicula in Urbe servandi. Sic ergo habetote, coetus nostros in aedibus Academiae Belgicae (quae est in 'Via Omero, 8') iri celebratum diebus 4° et 5° mensis Maii. Instituetur etiam, ut nobis iam pridem est mos, conventiculum, cuius erit horno argumentum 'de verbis novis'. Itaque vos, sodales, hocce mihi epistolio adhortari liceat, ut, si de verbis novis in usum olim inductis, de creandis nobis vocabulis, de legibus quibus ea in re obsequamur, de Latinitate incorrupta in rebus huius aevi describendis servanda, aliave de quaestione quae hunc in orbem doctrinae incidat oratiunculas habere cupiatis (assignabuntur autem singulis oratoribus 20 circiter temporis momenta), me quam primum certiorem faciatis [[dirk.sacre@arts.kuleuven.be](mailto:dirk.sacre@arts.kuleuven.be)] quid argumenti sitis proposituri quove inditam titulo orationem in indice rerum agendarum velitis nuntiari. Gratissimum feceritis, si intra duos menses responderitis. Curate ut valeatis !

D. Lovanio die 31 m. Ian.

Tue, 13 Feb 2018 23:21:56 +0100

**Theodericus Sacré** sodalibus ALF s.d.p. Proximarum Academiae nostrae sessionum commonefactos vos volui. Suspicabar enim instare tempus tesseras aerias emendi et cubicula in Urbe servandi. Sic ergo habetote, coetus nostros in aedibus Academiae Belgicae (quae est in 'Via Omero, 8') iri celebratum diebus 4° et 5° mensis Maii. Instituetur etiam, ut nobis iam pridem est mos, conventiculum, cuius erit horno argumentum 'de verbis novis'. Itaque vos, sodales, hocce mihi epistolio adhortari liceat, ut, si de verbis novis in usum olim inductis, de creandis nobis vocabulis, de legibus quibus ea in re obsequamur, de Latinitate incorrupta in rebus huius aevi describendis servanda, aliave de quaestione quae hunc in orbem doctrinae incidat oratiunculas habere cupiatis (assignabuntur autem singulis oratoribus 20 circiter temporis momenta), me quam primum certiorem faciatis [[dirk.sacre@arts.kuleuven.be](mailto:dirk.sacre@arts.kuleuven.be)] quid argumenti sitis proposituri quove inditam titulo orationem in indice rerum agendarum velitis nuntiari. Gratissimum feceritis, si intra duos menses responderitis. Curate ut valeatis !

**Iosephus Faber, alias József Kovács**

Tue, 13 Feb 2018 16:57:20 +0100

**Optime Domine Gross,**

addere velim nonnula verba ad scripta notanda atque apta ad alliciendos legentium animos de rebus *Gregis Visegrád* exarata.

Iosepho Antall, Primo Administrorum Hungariae, impulsore et suasore rectores Cechoslovaciae, Poloniae et Hungariae convenerunt ut intenta disceptatione habita rationem communem harum civitatum ad res Europaeas habendam componarent et promulgarent. Anno MDCCCCXCI declaratio, quae inscribitur *Declaratio de Operis Rei Publicae Cechoslovaciae et Rei Publicae Poloniae ac Rei Publicae Hungariae se Consociationi Europaeae aptandis*, symbolice oeco Regiae priscae regum Hungariae subscripta est.

Impulsore rege Hungariae, Carolo Roberto, anno MCCCXXXV Iohannes Luxemburgensis ille Caecus, rex Bohemiae, Casimirus ille Magnus, rex Poloniae, uná cum rege Hungariae convenerunt ut quaestiones controversiosas, praecipue inter Bohemiam et Poloniam, expedirent et quiete ac concorditer persolvarent et rationem se communiter erga potestates diversas gerendi elaborarent.

Concordia assecuta est ad postulationem regionum pertinens et pactio de commercio transitorio, quae pro rebus oeconomicis horum regnorum magni momenti esse apparuit, facta est. Itineribus novis statutis derrimenta *iuris depositionis* Vindobonae oriunda, quó mercatores iter ad partes Occidentales Europae facientes obligati erant merces eo loco venales habere vel, si venditio haud felicissime cesserit, pro permissione merces provehendi vectigalia non mediocris summae pendere, evitari potuit. Gradus parvulus initiumque ad commercium liberum...

Valeas quam optime !

**Iosephus Faber**

**J. F.**

**D.Mercurii, 14. m.Febr. a.2018, h.22:38**

Sehr geehrter Hr. Dr. Gross,

als Liebhaber der Latinitas viva-Bewegung war ich nicht nur jahrelang Empfänger Ihrer Epistulae Latinae, sondern habe auch Ihre Übertragungen von Gotthelfs Schwarzer Spinne, Süßkinds Parfüm oder Schlinks Recitator (mit Genuss) u.A. gelesen.

Habe auch selbst im Forum Classium 2015-4 einen lateinischen Artikel über das Thema "Vivitne lingua Latina" verfasst.

Möchte als Seminarlehrer für Latein im April innerhalb einer Regionalen Lehrerfortbildung für Klassische Sprachen einen Vortrag halten mit dem Titel: **Von Crusoe, Greg und Krabat – Kinder- und Jugendbücher im lateinischen Gewand.**

Hier wird des Öfteren (im positiven Sinne!) Ihr Name fallen. Nun kann ich mir aber vorstellen, dass der eine oder andere Lehrer an der einen oder anderen Märchenübersetzung interessiert sein wird, die man ja zahlreich in Ihren Epistulae findet. Wie sieht es da aber mit den Rechten aus?

Darf so ein Märchen im Klassensatz kopiert werden? Es handelt sich ja nicht um eine gewerbliche Verwendung dieser Texte.

Andererseits wollte ich als Autor bei Buchner auch einmal ein kleines Lektürebändchen herausbringen zu Needhams Harrius Potter-Übersetzung. Da wollte der Bloomsbury-Verlag jedoch nur die Rechte auf 500 Wörter verkaufen.

Würde mich freuen, von Ihnen eine Antwort zu erhalten!

LG Ihr J. F.

**Lieber Herr F.,**

es freut mich sehr, nach langer Zeit wieder einmal etwas von Ihnen zu erfahren. Natürlich freut es mich auch, dass Sie sich der Lektüre meiner Übersetzungen widmen und den Leo Latinus bekanntmachen. Gegen ein Kopieren meiner Löwenbriefe habe ich nichts einzuwenden. Was die Vervielfältigung von Teilen meiner schon in Buch- oder CD-Form herausgegebenen Übersetzungen angeht, so lege ich nach Art und Umfang der Textveröffentlichung einen Preis fest. Leider sind nicht alle Interessenten so ehrlich wie Sie, und ich entdecke immer wieder einmal Raubkopien meiner Übersetzungen im Internet. Sie schreiben, sie "waren" jahrelang Empfänger meiner Epistulae Latinae. Also beziehen Sie jetzt keine Löwenbriefe mehr? Habe ich da etwa einen Fehler im Verteiler? Ich schicke Ihnen gleich meine neueste Epistel (EL 153). Herzliche Grüße, **Dr. Nikolaus Groß**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	--	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM QUARTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominicâ, 18. m. Febr. a. 2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**

